

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis  
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,  
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -  
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1678**

§. 4. Litania quid sit, & quotuplex. Litaniarum vis, & officacia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9929**

tia, de Litaniis, quæ Psalmis Poenitentialibus subiecti solent, nunc loquar; si prius dixero cum sancto (a) Isaacio Presbytero, illum ponere terminum delictis suis, qui cognoscit terminum huius vitæ.

## §. IV.

*Litania quid sit, & quotuplex. Litaniarum vis, & efficacia.*

I. Græca vox Litania, si genuinam nominis significationem spectemus, seriam omnem, & ardentem precationem significat, à verbo λιταγεῖον, quod ardente orationem importat. Apud Homerum qui aliquem enixe precantur λιταγεῖον vocantur, & in quodam Epigrammate Græco infernus λιταγεῖον, id est inexorabilis, non ineleganter nuncupatur, quod nullis precibus flecti possit. Usu tamen receptum est, ut pro certa quadam Ecclesiastice supplicationis specie, qua Dei misericordiam, Sanctorumque patrocinium invocamus, Litaniæ nomen usurpetur. Accipitur etiam quandoque pro solo *Kyrie eleison*, tum in Græcis sanctorum Iacobi, Basilii, & Chrysostomi Liturgiis; tum à D. (a) Benedicto in Regula dum ait, Supplicatio Litaniæ, id est *Kyrie eleison*, & sic finiuntur vigiliæ nocturnæ: itemque Litaniæ, & completum est. Monachi enim post versum dicunt ter *Kyrie eleison*, deinde sequitur oratio Dominica, postea collecta, & sic finitur tam nocturna, quam diurna synaxis. Hanc autem supplicationem *Kyrie eleison*, commendat Epictetus Stoicus apud (b) Arianum: & Virgilius preces Turni ad Faunum describens ait, *Faune precor miserere*. Quia vero multoties solent Litaniæ processionaliter cantari, ipsa multitudo τηλιταγεῖοντων, &

(a) Isaac. de cont. m̄di c. 18. a Bened. c. 9. & 11. b Arian. lib. 1. c. 7. Virgil. lib. 12. Æneid.

procedentium ab ordine Romano , & ab alijs Litania  
vocatur. ( c ) Abbas Ioannes in prato spirituali nar-  
ratis cuiusdam Episcopi humilitatem ; Pertransiente,  
inquit , Litania , id est processione. Nos hic de illis Li-  
taniis loquimur, quibus Sanctorum invocatio contine-  
tur , quarum usum multò ante Gregorii Magni tem-  
pora viguisse libello primo de Litanis eruditissimè pro-  
bat Nicolaus ( d ) Serarius tot antiquorum Patrum  
sententiis , tot veteris Historiae exemplis , tot validis  
rationum momentis , ut nec ejus diligentia quicquam  
addi pos sit , nec sectarii novatores tam insignia anti-  
quitatis testimonia ulla valeant exceptione submove-  
re. Nullus certus auctor proferri potest , qui Sandto-  
rum Litanias primus invenerit ; quamvis speciales  
quasdam , nempè majores , quas vocant , in die S.  
Marci à B. Grégorio Magno : triduanas verò Rogati-  
ones ante dominicam Ascensionem à S. Mamerto  
Episcopo Viennensi circa annum Domini 452. insti-  
tutas fuisse non contemnendi auctores affirment. De  
utraque institutione legendus ( e ) Serarius libro de  
Processionibus. Etsi ergo Litarianarum quarumdam ,  
qua processiones sunt , auctor aliquis ex antiquitate  
proferri pos sit , non tamen qua precatio nes , nec qua  
in iis Sancti exorantur ; sed illæ ab Apostolicis viris in-  
ductæ , quovis etiam vetustissimo auctore vetustiores  
reputantur. Quin docti plerique sentiunt , inter quos  
( f ) Iansenius , & Baronius , Christi Domini tempore  
jam usitatas Hierosolymis supplicationes , in quibus fre-  
quentissimè suum illud *Osanna* repete bant. Extant  
Harthmanni , Ratperi , Notkeri , & alterius Anony-  
mi Monachorum S. Galli apud Helvetios versus qui-  
dam , & rithmi , quibus Litaniæ continentur in ( g )  
Bibliotheca veterum Patrum editionis Colonien sis.

e Prat. spirit. c. 210. d Serarius tom. 3. opusc. de litan. lib. 1. c. 4. e Serarius  
lib. 2. de process. c. 7. & 8. f Iansen. in concord. c. 110. Baron. an. 34. n. 3.  
g Tom. 15.

Psalmis verò Pœnitentialibus sacras Litanias rectè adjungi quis neget? In his enim primò misericordiam Dei supplici confessione imploramus. Tum Reginæ cœlorum pedibus provoluti, miseriam nostram poten-  
tissimæ mediatrici commendamus. Non omittimus Angelorum Principes, & omnes Sanctos beatorum spirituum ordines supraea naturæ dignitate sublimes, non Patriarchas divina familiaritate illustres, non Prophetas futurorum scientia conspicuos, non Apostolos Ecclesiæ Principatu gloriosos, non Martyres charitatis ardore succensos, non Confessores virtutum omnium splendore coruscos, non Virgines illibati pudoris candore præfulgidas, non omnes denique cœlestis curiæ cives, amicos Dei, & Principes universæ terræ. Petimus autem in Litanii pro omni statu hominum universi generis bona, humana, divina, publica, privata, quæ ad animam, & quæ ad corpus spectant.

## METRVM XXXI.

**D**ensa triumphali video procul agmina pompa,  
Atque hilares, placidosque choros.  
Plurima pars niveis, variis pars altera fulget  
Vestibus, auratisque stolis.  
Iam sinuosa leves rapuerunt stemmata venti,  
Iamque micant pia signa crucis.  
Tartareas Christi propellit imago phalanges,  
Et superi properant cives.  
Ordo Sacerdotum venerandaque turba canoris  
Carminibus passim exultant.  
Iam devota sacrâ aperitur scena viretis,  
Iam sanctæ resonant voces.  
Alternis precibus pueri, innuptæque puellæ,  
Atque senes, iuvenesque canunt.  
Ter circum viridi tremuerunt vertice colles,  
Ter longè tremuit tellus.

B b iii

374 DE PSALMIS POENITENTIALIBUS.

Terque repercuttas resonabilis edidit Echo  
Voces, ter sonuere specus.  
Audio divinae dotes, titulosque Parentis,  
Audio virgineas laudes.  
Sed prius Ingeniti, Genitique, & Pnevmatis alni  
Placarunt precibus Numen.  
Tum puras, celeresque canunt sine corpore mentes,  
Ter triplici agmine distinetas.  
Nec veteres reticent Patres, mundique parentes,  
Et sacros recinunt vates.  
Quos & Apostolic sequitur sacra turba Senatus,  
Magnaque Discipulorum acies.  
Et pueri infantes, rabies quos fæva Tyranni  
Sustulit è gremio matrum.  
Vos quoque commemorant, partam qui morte coronam  
Vertice sacrato geritis.  
Et vos Pontifices, & quos sine sanguine virtus  
Vicinos dedit esse Deo.  
Postea fæminei celebratur candida sexus  
Virginitas, castusque pudor.  
Sic omnes cœli proceres, patriaque beatos,  
Sollicitant precibus cives.  
Denique per Christi mysteria sancta precantur,  
~~Anno~~ ut votis Numen.  
Sit procul omne malum, det prospera cuncta, sereno  
Respiciat populum vultu.  
Utque Dei mitis, mundi qui crimina tollit,  
Agnus sit misericordia.  
Ista ter effati reticent: sed multa perorat  
Pronus humi sacer Antistes.  
Et cum sancta preces plebs finiit, æthera pulsant  
Plausus, ac tremulae voces.  
Pictaque tolluntur Christi vexilla, recedit  
Hinc chorus, & repetit templum.  
Tum subito Aligerum manibus collecta feruntur  
Ante Deum populi vota.

*Annuit his Numen, divinaque munera terris*

*Divite largitur dextra.*

II. Difficillimum fore variros, & admirabiles Litaniorum effectus è probatissimis Ecclesiasticæ Historiæ monumentis collectos recensere. In tanta enim exemplorum ubertate quid potissimum feligere, quid omittere debeam ignoro. Dicam tamen aliqua, quæ satis fuerint, ut maximam supplicationum utilitatem Ecclesiasticis viris commendent. Litanis magnum Basilium obseratum Niceæ templum sine clavibus aperuisse, magno Catholicorum applausu, magna Arianorum confusione ( h ) Amphilochius, & Zonaras testantur. Litanis Theodosium Imperatorem una cum clero, & plebe perpetuis imbribus imposuisse finem, post quos rei frumentariæ ingens copia sequuta sit, ( i ) Nicephorus Callistus affirmat. Litanis pestem, ac famem vehementissimam S. Heribertum Coloniensem Archiepiscopum submovisse ( k ) Abbas Tuitiensis asseverat. Imperante Theodosio Proclus Constantopolitanus urbem funestissimis terræ fragoribus concusam Litanis, & supplicationibus liberavit, ut ( l ) Baronius, & alii narrant. Omni enim populo cum Patriarcha orante sublatus in aëra puer, & mox in terram reversus sacrum Trisagion se ab Angelis didicisse testatus est, quem hymnum cum psallerent universi, terræ qualatio cessavit. S. Mammertus à Viennensi sua civitate, ut ( m ) Ado item Viennensis refert, gravissimos depulit terræ motus, ignes cœlitus delapsos, ferarum irruptiones, aliaque plurima pericula Litanis ad S. Iuliani Basilicam institutis. Gregorius Magnus serpentum virus, & inguinariam pestem, qua Roma quotidianis cadaveribus complebatur, non se-

h Amphiloch. in vita S. Basili. Zonara tom. 3. Annalium. i Niceph. Call. l. 14. cap. 13. k Rup. Abb. in vita S. Heriberti. l Baron. ann. 446. nu. 9. Thedor. Balsamon ad Can. 82. sextæ Synodi in Trullo. m Ado Vien. xt. 6.

mel Litaniarum precationibus avertit, ut in ejus vita  
 (n) Ioannes Diaconus scribit. Adversus bellicos in-  
 cursus idem met (o) Gregorius Litanias indixit, ut ex  
 Epistolis ipsius constat. Occasione magni terræmotus,  
 de quo (p) Agathias, actas quotannis Litanias anno  
 27. Iustiniani Imp. docet (q) Baronius è veteri His-  
 toria. In creatione summi Pontificis cantatas Litanias  
 apud eundem Baronium commemorat Anastasius Bi-  
 bliothecarius. Exundantis Tyberis alluvionem Lita-  
 niarum munimine repressam idem narrat ex eodem au-  
 ctore. Easdem pro salute Urbis à Stephano Papa ter-  
 tio frequentatas ipsomet Baronio narrante didicimus.  
 Quibus verò præsidiis Adrianus Papa ad petitionem  
 Caroli Magni barbarem, & ferocissimam Saxonum gen-  
 tem ad Christi fidem perduxit; nonne in Litiis pro eorum  
 conversione in tota ditione Romanæ Ecclesiæ celebra-  
 tis, ut scribit (r) Regino Abbas; Quibus artibus  
 impurissimi dæmones ab humanis corporibus multo-  
 ties expulsi sunt; nonne efficacissimo Litaniarum exor-  
 cismo? Qua ratione pluviarum illuviones submotæ,  
 procellarum sedata tempestas, virulenta fulgurum vis  
 repressa, devastantium flamarum extinctum incen-  
 dium, quo conclamata multorum salus postliminio  
 restituta, fideles animæ è tetro Purgatorii ergastulo  
 eductæ; nonne Litiis intimæ devotionis sensu reci-  
 tatis? Quidni igitur studeamus hoc saluberrimo pœ-  
 nitentialium Psalmorum additamento divinam nobis  
 misericordiam conciliare? Misericors, & miserator  
 Dominus ad beneficia humano generi præstanda sua  
 sponte proclivis, accendentibus suffragiis omnium San-  
 ctorum, ampliorem nobis tribuet donorum suorum  
 largitatem.

n. lo. Diac. lib. 4. o Greg. Ep. 45. lib. 9. indic. 4 p Agat. lib. 2. q Baron.  
 ann. 553. n. 249. an. 555. n. 10. ann. 717. n. 4. ann. 753. n. 3. r Regino lib. 2.  
 Chron. Mait. del Rio disquis. magic. lib. 6. cap. 1. Sigebert an. 679. Abbas  
 Vespere. an. 5. 7. Greg. Turon. de gent. Franc. lib. 2. cap. 34. Albert. Cran-  
 tius l. 2. metrop. c. 28. Greg. Cedrenus in Iustiniano.